Dolor ſummus mutat lachrymas in ſanguinem.

magnitudo doloris, & charitatis. Si bonum amittitur, fletu plangitur. Bonum ſummum aliter plorandum eſt: & quando flet Magdalena, meritò inquiritur *Quid*; quoniam amor non ſolum oſtendendus per dolorem, ſed per artem, ut deſignet magnitudinem: igitur ſi dolor communis in ſubſidium, ſanguinem cordis tranſmutat in fletum; ut ſumma cordis explicetur acerbitas, in cruorem transformat lucidas lachrymas. Iuxta doloris momentum, miniſtrabitur materia lachrymarum. Dei amiſsi ſummum eſt. In fletu videtur quid: etenim ità doloris ars conſtruit ex corde liquorem, ut in oculis guttæ amoris flammà convertantur in ſanguinem.

Ovid. *Sanguineæ manent tamquã de vulnere guttæ.*

Ierem. 9.20. 13 *Docete* ergo *filias veſtras lamentum, & unaquæque proximam ſuam planctum.* In planctu inſtruitur humana natura, dum cum natura recipitur ſcientia? Semper plorat, ſemper luget, ſemper plangit: & planctum plangentes Propheta docet; quoniam ut ritè deploretur Deus amiſſus, debet eſſe ſingularis planctus. Filiæ noſtræ animæ ſunt. Plorat dolore corpus: plorat etiam amaritudine animus: & ubi Deum Vates exponit amiſſum, docet filias lamentantes ſingulare lamentum, & plorantes verum planctum: igitur non reſpondent, patiente Chriſto, charitatis vehementiæ, ſi lachrymæ fuerint lachrymæ.

Quid ſit planctus animæ?

Mich. 1. 10. 14 Innuit Michæas: *Lachrymis ne ploretis*: dicit habitatoribus Sion. Haud commendat non plorare, ſed oſtendit impoſsibile. Vel lachrymandum non eſt, vel lachrymis lachrymandum. Quo pacto lachrymæ non erunt, ſi plorant; vel ſine lachrymis erunt plorantium ploratus? Tota prophetia de Chriſto Domino eſt, ab illis crucifigendus, pro illiſque in ſtipite moriturus: & non ſunt lachrymæ quæ tantùm lachrymæ, cùm vident homines pati pro ipſis, quod ipſi debebant pati. Sunt lachrymæ, ſed non congruæ; quoniam lachrymæ dumtaxàt, inæquant doloris cauſæ: & non fletur, dum Chriſtus in cruce vulneratus obijcitur; licèt lachrymis ploretur. Non reſpondent dolori, quæ tantùm lachrymæ. Dolori congruit, adæquari tragœdiæ: & dum cor, vulnere vulnerum ſaucium, præparatur ad fletum; lachrymis, ut ploret aptè mortem Redemptoris, nequaquàm eſt ploraturum: igitur quiſquis pro lachrymis non effudit ex oculis ſanguinem; minimè demonſtrat fletu tantæ paſsionis dolorem.

Quo planctu Chriſtus pro nobis in cruce plorandus?

15 *Deducant oculi mei lachrymam::: quoniam contritione magna contrita eſt filia populi mei*: ait Propheta Ierémias. Quid niſi lachrymam deducent oculi, ſtudentes ploratui? Perpropriè dicit lachrymam, dum oculi plorant: ſiquidem ſanguis eſſet, ſi cor dolore ploraret. Lachrymæ cordis ſunt guttæ ſanguineæ: fletus oculorum lachrymæ. Plorat Propheta, ſed lachrymà; quoniam filia populi contritione contrita. Aliter erit ploratus, dum pro nobis Dominus moritur in ſtipite ſuſpenſus, clavis confixus, vulneribus & opprobrijs ſaturatus. Huiuſmodi mortem (quæ oculis pervia) non oculi debent plorare, ſed corda: igitur cùm fletus oculorum ſint lachrymæ, & planctus cordis cruoris pellucidæ ſtillæ; minimè mors Chriſti ploranda lachrymis, ſi dolentes intendunt promere dolorem cordis. Ierem. 14. 17.

Diſcrimen lachrymarum oculorum, & cordium.

16 Eadem virga fuit, quæ aquas Nili in ſanguinem convertit, & ex rupe aquas elicuit. *Virgam, qua percuſiſti fluvium tolle in manu tua::: & exibit aqua.* Virga hæc Chriſti crucifixi erat figura, uti obſervat A lapide. Per rupem deſignantur peccatores in malis obſtinati: per aquas fideles adhærentes cruci: & fideles ſanguine dolorem ſcribunt, dum peccatores lachrymis dumtaxàt exprimunt; ut pateat quibus fletibus deploranda Chriſti paſsio, maximè ſi urget in fletum cordis, dilectio: igitur ius eſt, ubi facit, in lachrymas erumpere ſilicem; quòd corda amore fletum convertant in ſanguinem. Patitur Chriſtus, quas perferre debeo pœnas: *Iccircò ego plorans*: ſed *oculus meus deducens aquas*? Parum in eſt cordi ex tanta pœna pœnæ, ſi ex aquis lachrymæ. Deducant ergo cruorem, ut demonſtrent pœnitudinem. Reſpondebit ita compaſsio paſſioni; ſi faciunt oculi, quod fecerunt venæ. Dormient diſcipuli deſides ſiccis oculis arcentes lachrymam; dum factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram? Exod. 17.5. Thren. 1.16.

Sanguine debet plorari Chriſti mors.

——*Meritiſne hæc gracia tantis*
Redditur? Hac vitam ſervatam dote rependis? Ovid.

Aliter ſanguis Chriſti, quàm Meduſæ.

Corpora marmor erant. Idem.

Canit Ovidius lib. 5. *Metam.* Fab. 1. Sanguine Chriſti non marmora corda. Sanguis eſt quo mollit adamanta. De ſanguine Meduſæ fictum, quòd vel flentes transformaret in petras: de ſanguine Chriſti verum, quòd etiam ſilices convertit in lachrymas.

Sanguinis Chriſti virtus

17 In præfati miraculi allegoria, clarebit quo pacto molleſcant corda. Sumptà virgà à Moyſe, dicit illi Dominus: *Vade: En ego ſtabo ibi coram te ſupra petram Horeb: percutieſque petram, & exibit aqua.* Quòd petra percuſſa virgà, fit imago Chriſti in cruce vulnerati, apud omnes inconcuſſum. Verùm inquirendum, ad quid præſentia Dei promittitur ſupra petram, cùm Moyſes, ut eliceret aquas, extenderit virgam? *En ego ſtabo.* Mirificè; non erit ſilex, ſilex coram Deo. *En ego ſtabo*, & fluent aquæ largiſsimæ ex duriſsimo lapide: ſiquidem ſi corda ſaxea obſtinata malitià; coram me non erunt ſaxea. *Ego ſtabo*, ut fiat compunctio: igitur plorabit præſentià Dei, quantumvis ſilex ſit cor. Petra imago Chriſti eſt. Quid Deo præſente, ſi ſaxa lachrymantur abunde coram imagine? Quid corda, ſi præſentià Domini molleſcunt ſaxa? Imago Chriſti eſt rupes, ſed vulnerati, afflicti, in cruce pendentis: & promittitur præſentia, ut lugeant paſsionem corda: quandoquidem coram Deo, & vulnerato, atque in cruce ſuſpenſo, quamvis pectora ſaxea duritie criminum, erumpent per oculos in flumina lachrymarum. Hiſp. *A viſta de un Dios, que muere en una Cruz, llorarà aunque ſea pedernal el corazon.* Exibit per oculos aqua, eſtò lapidea ſint corda. Exod. 17. 6.

Lachrymæ vel ex lapideo corde corã Domino in cruce.

18 Accedamus propoſito Didaſcaliæ. Aqua elicita ex huiuſmodi rupe præſignat & vulnera Chriſti, & lachrymas cordis puncti compaſsione. Ex vulneribus ſanguis fluit: ex oculis lachryma exit: & in eodem ſigno patent vulnera & lachrymæ; ut conſtet, quomodò deploranda mors Chriſti: igitur tunc verè lachrymis dolorem cordis dicent, ſi flentes ſanguinem fleverint. Magis ſcopo. Si amittitur Deus per culpas, eſt confugium peccatoribus ad lachrymas. Haud ambigua via eſt. Ibi ſtat. Sedet iam ſupra petram, ubi virgà contritionis cor percutitur in lachrymam. Præoccupat locum ploraturi cordis: & ibi aſſerit præſentiam Deitatis; quoniam in loco, ubi quæſierit fletus, ibi Dominus. *En ego ſtabo*: dicit, quippequàm lachrymas non cognoſcit à longè. Averſione Dominum perdidiſti? Quære amore. Si amore quæris, & conaris invenire;

Et ſanguineæ.

Ibi Dominus, ubi fletus.

Oth. Væn. ——*Teſtis ſit lachryma flammæ.*

DIDASCALIA VII.

Suaviſsima dulcedo ex amaritudine lachrymarum.

Ephræ. 1 SCripſit; qui ita probabit Ephræmus tract. de *Timore Dei.* Sunt ſpecies lachrymarum, iuxta Bonaventur. ſuper Pſalm. 18. v. 136. nimirùm, *lachryma amara, lachryma dulcis, & lachryma calida*: de quarum effectu loquemur, cum demonſtraverimus animæ potentias fontes aquarum, ut homo ductus verà pœnitudine, lachrymetur *in amaritudinem animæ.* Modo inquirendum, quomodò poteſt naſci dulcedo ex amaritudine, & lachrymarum ſuavitas ex fletus acerbitate? *Si qui non habent quod fleant, lapſus fleant peccantium*: aſtruit Ambroſius in *Exhortat. ad Virgin.* Amara lachryma eſt, & dulcis, & calida. Amara pœnitudine, calida amore: & tunc ex amaritudine dulcis, ſi procedit ex igne charitatis. Pœnitentia de proprijs peccatis eſt iuſtitia: de alienis verò charitatis gratia: & fit dulcedo ex amaritudine lachrymarum, dum pro peccantibus iuſtus dirigit fletum; quippe ex gratia fit iuſtitia, cùm operetur charitatis cordis flamma, quæ debet facere pro crimine pœnitentia. Iſai. 38. 15. Ambro.

Species lachrymarum. Bonav.

Lachrymæ quomodò amaritudo dulcis?

2 *Venit ergo*, mortua Sarà, Abrahamus, *ut plangeret, & fleret eam.* Perſica verſio, ut vidimus in *Expoſit. litter.* legit: *Venit Abraham, ut conſolationem acciperet de Sarah, & defleret eam.* In fletu ſubſidium, vel tormentum? Dolor exprimitur per lachrymas: non eſt in dolore voluptas: & ubi Abrahamus deducit ex corde torrentem lachrymarum, quod tormentum eſt ſubſidium; quoniam non venit in funus, ut ſeſe plangeret, ſed ut illam fleret. Si pro ſe fleret, eſſet lachryma amara; igitur fletus è corde eliceret pœnitentia: & unde flens Abrahamus mæſtitudinem, nactus ex conſolationem; quoniam pœnitentiam fecit, quam peccatis non contraxit. Gen. 23. 2. Perſ.

Et dolor ſuavis?

——*Iſthæc virtus firmiſsima legis:*
Conſimile eſt iſti, magno teneantur amore
Ad ius fraternum iuſtæ penetralia mentis. Iuven.

Canit Iuvencus lib. 4. *Evangel. Hiſtor.* v. 44. Magnum, quòd quiſque de peccatis doleat, ſed ſummum, quòd aliena, quaſi non aliena fleat.

3 Peccavit Petrus, negans quem ut filium Dei cognovit. Quis ſtabit, ſi Petrus à fide defecit? Fides humana fluxa eſt: videbatur Petrus ſequi eſtò à longe perſonam, & ſecutus eſt fortunam: igitur abiectum ut hominem non cognovit, quem ſupra hominem in homine cogitavit. Crevit iniuria, quæ nequibat ampliore excellentià maieſtatis læſæ, iniuriæ geminatione. Cognovit, ſe non cognoviſſe malitioſè, quem cognoverat; & ignoraſſe, quem nequaquàm ignoraverat: tuncque quod crimen defendi non potuit, ablui potuit: ſiquidem *Converſus Dominus reſpexit Petrum*, qui egreſſus foràs, cœpit flere amariſsimè delictum. Pro *Converſus*, Leo Papa, *Flens Dominus reſpexit* Luc. 22. 61.

Hominis cognoſcitur fortuna, & non homo.

xit Petrum : infit Serm.3. de *Paſsion.* Fletus demonſtrat dolorem : dum Petrum deficientem reſpexit, de quo doluit? De ignominijs, de improperijs, de devotione per concilium turpiſsimæ morti? Neutiquàm. De lapſu Petri. Ploret, qui crimen commiſit, non qui pertulit. Offenſæ lachryma congruit audaci, & non patienti. Dolor de pœna eſt, pœna de culpa : quare qui pertulit iniuriam, ſuſtinet pœnam, quaſi contraxiſſet culpam? Ut per deploratum alienum crimen, exhiberet pœnitentiam ſingularem. Petrus peccat, Chriſtus plorat : & eſt pœnitentia nova in ambitu doloris, pro ſatisfactione criminis; ſi Præſes plorat, quod ſubditus peccat. Plorare peccata aliena, quaſi propria, eximiæ decor rutilat pœnitentiæ virtutis : & pro ſplendore pœnitentiæ ſingularis Chriſtus pertulit criminis pœnam, cùm Petrus haberet culpam : igitur cordis flagrantis flammà charitatis inſigne, quæ non rapuerat, quaſi qui rapuit, exolvere.

Decor pœnitentiæ eſt flere aliena peccata.

4 Priuſquàm progrediamur ultrà, ſciendum eſt in Chriſto non fuiſſe pœnitentiam virtutem ſimpliciter, ſed analogicè tantùm, vel ſecundum quid, ſcilicèt quantum ad deteſtationem culpæ, prǽut eſt iniuria divinæ maieſtati. Ita ut pœnitentia ipſius eſſet mali averſio, quæ in nobis dolentibus eſt errati retractatio. Vide Angel. Magiſtr. 3.*part. quæſt.*84. *art.*7. ad 4. Et Suarium hìc *Diſp.* 4. ſect. 5. & *Diſp.* 19. ſect. 1. Oſtendit fletu amariſsimo Petrus, quomodò debet, qui labitur, plorare delictum; & Chriſtus, quomodò poſsit eſſe pœnitentia ſingularis, in exemplum; ut floreat charitas, ubi deficit proprietas : igitur ſi fletus index doloris Petri reſipiſcentis; in Chriſto ſignum erat lachryma conflagrantis charitatis. In Petro, pœnitentiæ; in Chriſto, pœnitentiæ heroicæ : quandoquidem amarè flebat, quod crimen Petrus malitiosè contraxerat. Chriſtus flevit, ſed iucundè. Petrus flevit, ſed *amarè.* Ex amaritudine lachrymarum Petri, orta fuit dulcedo lachrymarum Chriſti : igitur tunc oculi fontes iucunditatis, dum lachrymæ defluunt pro peccatis alienis.

Queis heroica pœnitentia.

Verſ.62

Et ſuavis lachryma.

5 Audiamus Gentium Doctorem. *Qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit* : dicit de Chriſto Domino, pro nobis in cruce paſſo. Ut liberaret hominem, ſuis humeris peccatorum omnium baiulavit crucem. Maior eſt vis amoris, quàm Atlantis & Alcidis : ideo dicitur humeris portare mundum, pondus ſine pondere; quippe ab illo tantùm poterat portari.

2. Cor. 5.21.

Amor portans mundum

Cœlū humeris Atlas tulit, Alcideſque viciſsim;
At cœlum, & terram fert ſimul unus Amor.
Robur Amoris enim non cedit viribus ullis,
Hercule, & Atlante hinc maior habendus amor.

Oth. Væn,

Canit Otho Vænius Emblem.19.*Amor.* Quis poſſet par eſſe Atlantis viribus? Amor, qui maior Atlante, & maior Hercule : igitur ut purgationem faceret peccatorum, omnia portavit verbo virtutis ſuæ.

Cuius ſymbolū?

6 Modò textui. *Qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit.* Peccatum fecit, ideſt, pœnam peccati toleravit. *Peccatum* pro pœna peccati : ut ſæpe in Biblia. Oſee 4. 8. *Peccata populi mei* (ſacerdotes) *comedent.* Zachar.3.4. *Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam.* 2.Machab. 12. 46. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* 1. Petr. 2. 24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Sic alibi. Textus difficilis eſt; & ex ſolutione, dum lucet charitas, ſurgit maior difficultas. Pœna eſt ex culpa : quo pacto pœnam peccati ſuper lignum in corpore pertulit, qui licèt carnem haberet peccati, peccatum non novit? Pœna non erat propria, ſed aliena : hoc erat novum, ſcilicèt quòd eſſet pœna, cuius non erat culpa. Non pertulit pœnam pro peccatis ſuis, ſed *pro nobis* : & magnum ſanè, quòd noſtrum eſſet crimen, & proprio ſanguine pro nobis dediſſet ſatisfactionem. Voluit Chriſtus oſtendere pœnitentiam heroicam, in illis qui peccatum non habent, & faciunt de peccatis pœnitentiam. Pœnitere de peccatis proprijs, & redimere lachrymis, iuſtitia eſt; ſed charitas ambit plus : & de peccatis pœnitet, qui peccatum non novit; quoniam nota charitatis perferre culpæ pœnas, & non admittere culpas.

Peccatū pro pœna peccati.

Summæ charitatis ſchema, perferre pœnas & nō admittere culpas.

7 Intelliges ergo illud Pauli de charitate. *Omnia ſuffert.* Quid eſt omnia? In crimine & eſt iniuria, & eſt pœna, ſequens crimen; quippe uterque reatus legis comitatur tranſgreſsionem. Offenſa eſt in offenſo, perfractà lege : pœna verò iniuriæ in offenſore. Dividitur ergo reſpectus inter patientem & actorem; quoniam ad illum dirigitur deſpectus honoris, ad hunc autem pœna cruciaminis. Pars in ſingulis eſt, quoniam iniuriam tranſgreſſor ſi in offenſum torquet, ſeſe pœnà propter audaciam afficit : Charitas verò *omnia ſuffert* : igitur ſuſtinet tranſgreſſoris iniuriam, & quaſi ipſa peccaverit, tolerat pœnam.

1. Cor. 13.7.

Quid eſt, charitatē omnia ſuſtinere?

Perſpicuiùs delicabo. Ius eſt, ut qui fregerit legem, patiatur prævaricationis dolorem. Hæc eſt lex. Aliud charitatis ius : igitur cùm patratori criminum incumbat pœna; charitas, quia charitas ſuffert omnia : & offenſam, quæ patitur ab iniquitate, & pœnam undecumque ſociam offenſæ. Lachrymæ in peccatore iuſtitiæ ſunt, quoniam ſatisfacere debet, quæ commiſit; & non eſt alia ſatisfactio criminum præter pretium lachrymarum. Quicquid contraxit error, expellit dolor : igitur acquiritur Domini miſericordia, peccatoris pœnitentià. Lachrymæ in iuſto charitatis ſunt, quia cogitat ſarcinam alienam culpam, & pro peccatoribus inſons effundit lachrymam. Peccatoris lachrymæ, quia ex iuſtitia, ſunt amaræ; quandoquidem oriuntur ex crimine. Charitatis verò dulces, quippe ſine crimine ſunt lachrymæ dilectionis. Unde ſic plorans habet dulcorem, ubi pœnitens peccator exhaurit amaritudinem; ſiquidem lachrymatur peccata, quæ non habet, quaſi pro quibus lachrymaretur, haberet. Quæ igitur lex, niſi amoris, quibat urgere in lachrymas, ignorantes ſcelerum culpas? Ingenium ſummum eſt, quod contra ius aſtruit ius. Ideo huiuſmodi ſtudium ſequitur præmium : & oritur lachrymarum conſolatio, unde pœnitentibus afflictio.

Lachrymæ amoris dulces.

8 Inter ſpeciales virtutes, quas uti beatitudines recenſet Aſſertor N. felices vocat lugentes : *Beati*, ait, *qui lugent.* Nota : luctus eſt mœſtitudinis index : unde ergo qui luget, felix? Non felix ſanè qui luget : igitur felicitas exprimit per oculos gaudium; & lachrymæ, cordis explicant tormentum. Si lachrymæ gaudia, ubi triſtitia? In lachrymis quæ eliciuntur pro criminibus proprijs : igitur licèt peccator gaudeat, quoniam peccata plorat; nihilominùs tamen triſtatur, quia in ſe cognoſcit cauſam, cur lachrymetur. Amor dum peccata lachrymatur, habet *Quid*, verùm non cognoſcit niſi in charitate *Cur.* Habet *Quid*, quia plorat culpam. Non habet *Cur*, igitur lachrymatur alienam. Illud eſt iuſtitiæ ſatisſactio : hoc amoris beatitndo. Illud amaritudo dulcoris : hoc dulcedo amaritudinis : Chriſtuſque Dominus luctus huiuſmodi ſignat gaudia; & quia felicitas, lugere peccata aliena; & quia excedit ars amoris pœnitentiæ ingeniosè facultatem, dum acerbitatem lachrymarum facit ploranti dulcedinem.

Matth. 5.5.

Felicitàs planctus unde?

Ingeniū amoris excedit ingeniū pœnitentiæ.

9 Deinde. *Beati qui lugent.* Qui lugent miſeri ſunt : aliàs minimè lugerent : & qui non habent lugentes, de quo lugeant, ſunt beati; quippe volunt, ut alij ſint felices, eſſe miſeri. *Beati qui lugent.* Sed quare? *Quoniam ipſi conſolabuntur. Conſolabuntur* futurum eſt : quomodò gaudium futurum, dum, quia beati, præſens lachrymarum gaudium? *Hìc exponuntur* (ait Maldonatus) *qui ſua lugent, aut aliena peccata.* Vivide : Qui ſua, *Conſolabuntur*; quia ſeminantes in lachrymis, dum peccata lugent, in gaudio metent. Qui aliena, iam conſolantur, igitur habent beatitudinis dulcedinem, dum alienum plorant crimen. Unde oſtenditur miſeria & gloria lachrymarum, beatitudo & amaritudo pœnitentium; ut conſtet diſcrimen lachrymarum charitatis, à lachrymis pœnitudinis : etenim quod in habente peccata eſt pœnitentia; pœnitentia non habentis, eſt vel in hoc mundo gloria.

Ibidem.

Maldonā

Quando pœnitentiæ gloria?

10 Flagrat ſæpe pectus, ubi huiuſmodi charitatis vulnus. Hinc Samuel plorat Saul. Hinc Dominus ingratam Ieruſalem, ut latè vidimus *Tautolog.* 1. *Didaſc.* 3. à n. 8. & de Patriarcha Noëmo cecinit Alcimus Avitus lib. 4. *Geneſ.* v. 216. dum illi apparuit Archangelus Gabriel.

Et tunc fortè gemens cunctorum crimina Noë
Inflexis ſtratus genibus, cum ſupplice planctu
Mundanis veniam mundo nolente petebat.

Alc. Avit.

Inſignis ſunt amoris ſtudia. Cæterùm ubi huius dilectionis ſchola? Dixit N. Patriarcha Benedictus *Sanct. Regul.* cap. 4. *Officina verò ubi hæc omnia diligenter operemur, clauſtra ſunt Monaſterij.* Ibi Angeli pacis amarè flent, & dulciter flent. Amarè, dum lachrymantur præterita mala propria : dulciter, dum flent aliena, quæ non flentur à peccatoribus, commiſsis iniquitatibus : igitur ſatis fit iuſtitiæ vindici, ubi videntur Monachorum lachrymæ, cogitantibus iniquis, quamtum debent habere de propria iniquitate dolorem, dum ità plangunt alienam, qui iniquitatem non habent.

S.Bened.

Monachis congruit, ſua, & aliena peccata plorare.

11 Diverſas ſanè contemplor lachrymas plorantium, de quibus eſt ingenioſum hieroglyphicon. Arbores ſenſibiles, rationales ſunt : & in arboribus videmus lachrymas, tamquàm ſigna purgationis. Idem planè in homine, ſicut ſignum pœnitudinis; quandoquidem anima purgatur lachrymis. Cunctarum arborum lachrymæ deſerviunt medicinæ, tùm balſami, tùm vitis, pro diſtincta affectione morbidi corporis; & pro morbis animæ analogia exhibetur, ſi pro quavis læſione lachrymatur : igitur in homine lachryma, uti alexipharmacum, patet univerſalis medicina. Sunt lachrymæ amaræ, uti myrrhæ; ſunt lachrymæ dulces, uti vitis & balſami; ſed aliæ ſunt præſtantiores, nimirùm electri, ſeu ſuccini, in quas converſæ ſunt Heliades, Phaëthontis ſorores, dum fratrem ambuſtum plorarent, & mor-

Lachrymæ, univerſalis medicina.

Lachrymæ pro alijs pretioſæ.

mortem eius lugerent. Ideo lachrymæ pretioſæ, igitur fuſæ pro fratre.

12 Verùm dices: Cur medicinales vitis & balſami lachrymæ, & ab electris pretioſæ? Dicit Poëta lib. 2. *Metam.* Fabul. 3.

Ovid.

Sanguineæ manant tanquam de vulnere guttæ.
Inde fluunt lachrymæ ſtillataq̃ Sole rigeſcunt
De ramis electra novis.

Ecce diſcrimen. Lachrymæ vitis vel balſami à vulnere: lachrymæ electri à Sole. Vulnus peccatum eſt. Amor eſt Sol: & quæ à Sole dicuntur pretioſæ lachrymæ, & non quæ à vulnere; quippe ſunt pretioſiores, quæ manant ex fonte flammivomo charitatis. Si pro ſe eſſent pectoris gemitus, etiam eſſent ex pœnitentia ploratus, quippe illa, eſtò ex malo bonum, ſemper comitatur malum. Lachrymæ pretioſæ, pœnitentiæ ſunt, ſed heroicæ pœnitentiæ: ſiquidem non procedunt à vulnere, ſed ab amore. Quorum fletus à peccato, naſcitur fletus ex odio. Quorum fletus ab alieno crimine, naſcitur ex dilectione: quæ ita inflammat viſcera in ſatisfactionem offenſæ Deitatis, & abolitione criminis; ut erumpat in lachrymas flamma cordis.

Lachrymæ ex odio peccati, & amore pœnitentiæ.

13 Hi, qui digni vel perſecutionum tentationibus ſunt inventi, acceptique Deo, premente tribulatione, qua ingredi conantur in gloriam; dicunt per os David: *Tranſivimus per ignem & aquam.* Termini immutantur: igitur ſi procedunt de tribulatione in tribulationem, tranſire congruebat ab aqua in ignem. Minimè immutantur, cùm huiuſmodi collocatione fons & origo pœnitentiæ in exemplum explicetur. In aqua vis deſignatur lachrymarum; in igne amoris incendium: & ubi pro criminibus plorant, tranſeunt per ignem in aquam: ſiquidem haud in aquas lachrymarum erumperent lumina, ni amore boni amiſsi flagrarent pectora. *Amor*, dicit Publ. Syrus, *ut lachryma: ex oculis oritur, in pectus cadit.* Non eſt perfecta lachryma, nec flamma perfecta. Lachryma erit ut amor, ſi intendit eſſe pretioſior. Amorem ortum in pectore, declarant plorantes oculi: igitur non lugeret, ni flagraret: non tranſit ab aqua in ignem; ſed ab igne in aquam, ut aqua fletus demonſtret flammam internam: igitur ſi corda, pœnitudine tacta, in lachrymas liquefiunt; haud alia cauſa, niſi quia interiùs flammeſcunt.

Pſalm. 65. 12.

Quia amore flagrant pectora, plorant lumina.

P. Syr.

Lachryma, ut amor.

14 Ego ſcopo Didaſcaliæ. Peccant homines dum tranſeunt, ſed reſipiſcunt. Tranſirent per aquam in ignem; ſi ex lachrymis tranſirent in amorem. Tranſeunt per ignem in aquarum delicias, dum amor producit lachrymas: ſiquidem ſunt voluptati, quæ non ex vulnere. Qui peccant & lachrymantur, ipſis lachrymis tranſeunt in affectum cordis; ut excitetur amor, quibus conficitur dolor. Qui lachrymantur & non peccant, aliena peccata plorant: & cùm flent alienas culpas, tranſeunt ex amore in lachrymas; quippe ſolùm amor vehemens poterat flere, quæ ius erat peccatores deplorare.

15 *Fulgura in pluviam fecit*: ait David loquens de miraculis Dei. Magnum ſanè, quòd ſint in pluviam, & non inflammam. Fulgur, fulminis comes vel index, potiùs videtur deſignare ignem vindicis iuſtitiæ, quàm divinæ clementiæ: & illuceſcunt eius coruſcationes orbi; ut videns commoveatur terra in compunctionem, dum præſentit fulminantem: fulguraque diſponit non in flammam, ſed in pluviam; & quia reprimitur flamma iuſtitiæ, dum plorant oculi, & quia Deus dum coruſcat, haud intendit in peccatorum pœnas, ſed in pœnitentiam lachrymas.

Pſal. 134. 7.

Lachrymis reprimitur Dei iuſtitia.

Quod dignum admiratione in meteoris, admirabilius claret in ſchola virtutis, dum plorantur aliena peccata, charitate magiſtra. Fulgura in pluviam Dominus fecit: fulgura etiam in pluviam charitas facit. Coruſcatio eſt effectus fulminis, quæ obijcitur oculis, nube reciſſa pectoris: & minimè fulgetrum indicat fulmen, aut flammam, ſed fletus pluviam copioſam; quoniam radij amoris excitantes incendia, & inflammantes corda; inundant oculos lachrymis, ut effundantur pro peccatis alienis.

Pluvia lachrymarum ex igne cordium.

16 Hæ lachrymæ magni momenti ſunt: igitur dum oculi deplorant aliena; ſignum eſt, quòd pectus non habet propria. Hoc eſt officium Monachorum in clauſtris degentium: carere, ſcilicèt, peccatis, & lachrymari pro alienis. *Dolens clamat in doloribus ſuis*: Monachi verò in alienis, ut conſtet lachryma amaritudinis, & lachryma ſuavitatis. Amaritudinis, ex dolore pœnitudinis vulnerum: ſuavitatis ex dolore non dolentium: ſiquidem commoventur ut de proprijs doleant, cùm alienam vident pro ſe Monachorum pœnitentiam.

Iſai. 26. 17.

Hinc electra legunt alnis ſtillantia Celtæ,
Succina quæ memorant, mellis, vinique colore;
Quæ paleas rapiunt tactu, frondeſque caducas.

Delr.

Ergo *docete filias veſtras lamentum, & unaquæque proximam ſuam planctum.* Hæc eſt planctus ſcientia, plorare aliena peccata: igitur magnum incendium cordium, ubi vel paleas huiuſmodi fletus trahunt: ægrè ſanè tolerabunt gravia, qui ita trahunt, ut illachrymentur levia. Neſcitur

Ierem. 9. 20.

Scientia planctus in qua?

in

in mundo huiuſmodi lachrymatio, qua quæ acerbitas ſit ſuavitas: & docetur lamentum; ut diſcatur ſcientia abſcondita lachrymarum: ſiquidem ſuavis, quæ lachryma acerba; ubi plorantur peccata, à plorante non commiſſa.

17 Quod de lachrymis David & Ionathæ fictum, in Monaſterijs arbitror & iurè, verum. Viciſsim ploravere, & impœnitentiam Regis, & propriæ acerbitatem calamitatis: *Philo refert* (ait Cauſsinus lib. 7. ſymb. 37.) *lachrymas ipſas in tantæ amicitiæ pignus, vaſculis exceptas eſſe, & ſimul reconditas.* Si ut libarentur Deo, illuſtris profectò cogitatio: igitur ubi à pœnitentia elicitur fletus, ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Cor humiliatum non deſpicit, qui lachrymas ſuſcipit: maximè dum effundebatur utriuſque lachryma pro Regis impœnitentia.

1. Reg. 20. 41.

Lachrymæ Ionathæ, & Davidis.

Cauſ.

Sacrificium lachrymarum.

Servatæ fuerunt iſthæ pretioſæ lachrymæ. An in ſignum amicitiæ? An in demonſtrationem doloris? Nullus maior, quàm non dolere, qui dolere debet. Plorant, & eorum lachrymæ ſervantur; ut lachrymas habeant, qui non plorant. Plures peccant, & reſipiſcunt; verùm triſtes degunt, quia minimè lachrymantur. Gaudeant, modò pœniteant. Adhuc ſunt lachrymæ: ſiquidem ſervantur ab amore in Monachorum oculis, qui affatim plorant pro peccatis alienis; ſugentes dulcorem, ex quo peccantes deguſtant amaritudinem. Nil acerbius peccato: tamen

Monaſteria ſchola planctus.

Ovid.

——— *Aliquis malo eſt uſus in illo.*

DIDASCALIA VIII.

Fallax omninò fœminæ pulchritudo.

1 HUius veritatis oculi teſtes, potiùs quàm auctores: nihilominùs tamen aſtruit Bleſenſis *Epiſt.* 4. igitur non reſipiſcunt oculi videntes, etiam dicentibus oculis.

P. Bleſ.

Pulchritudo anceps bonum.

Senec.

Anceps forma bonum mortalibus,
Deperdit aliquid ſemper, & fulget minùs.

Canit Seneca in *Hippolyt.* Act. 2. v. 758. & in *Hercul. Oet.* Act. 2. v. 650. Fallacia nihil aliud eſt in fœminæ venuſtate, quàm aliud eſſe & aliud apparere: & pulchritudo fœminæ rutilans fallit, quippe deficit, dum fulget.

Fragile.

Ovid.

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & ſpatio carpitur illa ſuo.

Infit Ovidius lib. 2. de *Art.* Illuſtre figmentum Antiquorum, ut per fictiones oſtenderen verum. *Venus Parcarum maxima*: dicitur apud Vincent. Chartarium in *Pluton.* fol. 205. Vividè oſtentum, quid pulchritudinis ſummum. Per Venerem deſignatur gratioſa venuſtas: per Parcas mortis acerbitas: & ſumma pulchritudo in Parcarum collocatur ſublimi throno; ut vel cæcis clareat, quàm fallax ſit pulchritudo: igitur ſunt iacula diræ mortis, ſpecioſæ gratiæ Veneris. Tres fuerunt Parcæ, & ex his tribus una Venus, quæ ſignabat pulchritudinem, & etiam ſpecioſam falſitatem: ſiquidem ubi præſtabat ſpecioſitas ſimplex, mors comitabatur duplex: entitas binæ ſcilicèt mortis ſub ſpecie venuſtatis. Vide quæ diximus *Tautol.* 3. *Didaſc.* 9. num. 14.

Vincēt. Chart.

Quomodo fallax pulchritudo?

2 Scrutare ſymbolum. Venus collocatur inter Parcas, ut conſtet quid ſit fœminæ ſpecioſitas, & etiam pulchritudinis fragilitas. *Venerem* (infit ibid. ex Plutarcho) *Romani Parcarum maximam natu habebant.* Quomodò natu maior, quæ ætate non prior? O fragilitas pulchritudinis! Priùs moritur, quod priùs naſcitur. Parca, quia cum eſſe, eſt prior: pulchritudo, quippe poſt tempus, poſterior: & quæ ætate poſterior, dicitur prior; quoniam priuſquàm quæ pulchra moriatur, ipſa pulchritudo moritur. Ideo Veneris ſeu pulchritudinis duplex Parca deſignatur comes: alia vitæ, & alia formæ. Alia morte, alia tempore. Unde inter Parcas pulchritudo maxima natu; quoniam fallax omnimodè pulchritudo: igitur moritur cùm ſplendet; & etiam vità, qua floret.

Idem.

Moritur ante mortem.

3 Mortua eſt Sara: priùs extincta forma, quam vita. Mortua eſt Sara. Quam parvo tempore forma viget! Nec ſemper violæ, nec ſemper lilia florent. Ecce pallida, quæ fuerunt candida lilia. Mortua eſt Sara, pulchriorum ſpeculum: quia pulchrior, priùs properavit in ſepulchrum. Adonis forma ſpectatiſsima in anemonen eſt converſa, qui flos dicitur *flos venti* (Noſtrates, *Amapola*) & iurè. Levis ſanè pulchritudo; igitur non ſolùm à tempore rapitur, ſed à vento. O temporis poteſtatem propudioſam! Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam?

Pulchritudo flos venti.

Adonidis metamorphoſis.

Ovid.

Intumuit ſicut fulvo perlucida cœlo
Surgere bulla ſolet, nec plena longior hora
Facta mora eſt, cùm flos de ſanguine concolor ortus
Qualem quæ lento celant ſub cortice granum
Punica ferre ſolent: brevis eſt tamen uſus in illo:

Namque malè hærentem, & nimia levitate caducum
Excutiunt ijdem qui perſtant omnia venti.

Succinit Ovidius lib. 10. *Metamorph.* Fab. 13. Futilis proculdubiò venuſtas florida apparet, quam ventus flatu diſpergit. Solidior eſt imago veritate, in celebriore auguſta pulchritudine: quantæ durationis erit inconſtans fœminæ pulchritudo, ubi à vento diſpergitur pulchritudinis imago?

4 Mortua eſt Sara. Facilè mutatur Luna, pulchritudinis elegantior forma; igitur Luna eclipſim non patitur niſi plena. Diſcant fœminæ ſtudere virtuti, poſthabitâ corporis venuſtate: etenim per immediationem terræ eclipſi propior, quæ ſpecioſitate plenior. Mortua eſt Sara: *Venitque Abraham ut plangeret, & fleret eam.* (Gen. 23. 2.) Obſerva *Eam.* Cadaver eius, ſed *Eam*? Ea non eſt: & poſtquàm mortua, dicitur *Ea*, quippe Abrahæ dilectioni non erat mortua.

Eurip.

Amare mortuum producit lachrymas.

Dixit Euripides in *Alceſte.* Iccircò ut Chriſti viderunt in domo Lazari planctum; dixerunt Iudæi: *Ecce quomodò amabat eum.* (Ioann. 11. 36.) Amor cognoſcitur lachrymis, & amplior pro fato functis, igitur oculi eos cognoſcunt, qui gratias pro lachrymis non rependunt; extolliturque fidei demonſtratio, ubi nulla gratitudo: ſiquidem tunc magis obſequentes exprimunt dilectionem, dum deſperant in exhibitione fidem. Intentum amoris eſt flectere obſequijs dilectum in redamationis vices. Altiùs ſtudium viget, dum ſtudio dignatus non reſpondet: igitur officia amoris præclari, ſine mutua officiorum viciſsitudine, cùm abſentia obiecti dilectionis dirigat planctum, quin ſit cadaver dilectionis obiectum: & Sara mortua, quæ non ea, dicitur *ea*; ut in Abrahamo conſtet amoris flamma: quandoquidem quæ mortua vitæ, adhuc vivebat amori.

Quod mortuũ vitæ, vivat amori.

5 Audiatur Seneca. *Oblivіſci quidem ſuorum* (ait *Epiſt. 99.*) *ac memoriam cum corporibus efferri, & effuſiſsimè flere, meminiſſe parciſsimè, inhumani animi eſt.* (Senec.) Quomodò memoria parca cum lachrymarum copia? Quia cum corpore in terram oblivionis effertur; & deficit, cùm cadaver ſepelitur. Vita amoris eſt ultra vitam: quippe uti phœnix vivit ex morte, atque ſurgit ex funere: & dum ſepelitur Sara (vel non Sara, uti cadaver) eius non dicitur cadaver, ſed *Ea*; quippe tunc magis in coniugis corde inolebat memoria, dum ab oculis cadaver removebat ſepultura. *Ea*, & mortua, quæ mortua non erat ea; igitur dum aſtitit Abraham funeri, haud amorem ſepelivit cum cadavere.

Vivit amor erga mortuos in amantibus.

6 Venit Maria Magdalene in ſepulchrum Domini, ducta erga illum, ut cœpit, fervidà charitate. Quæſivit & non invenit: liquet pectoris dilectio, ſi quæſivit dilectum in ſepulchro. Ablatum credidit, & præ dolore ploravit. Afflixit dolor, quia vivebat amor. Abſtergere conati ſunt Angeli afflictæ lachrymas, & dixerunt ploranti: *Mulier quid ploras?* (Ioann. 20. 13.) Dixit illicò: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.* (Ibid.) Cadaver Domini tulerunt dotes glorioſi corporis. Nihil mirum, quòd neſciat, ubi ſit, dum cogitat formam cadaveris. Verùm perpende. Cadaver Domini ſublatum credidit à monumento, & non dicit cadaver ſublatum, ſed Dominum. *Neſcio* (ait) *ubi poſuerunt eum.* Articulus improprius. Cadaver Domini non eſt Dominus, igitur corpus hominis non eſt homo: cur ergo ſi corpus inquirit, dicit neſcire, ubi poſuerunt eum? Per huiuſmodi articulum pronominis adiectivi, deſignatur exiſtentia dilecti: qua ergo lege *Eum* vocat in ſphæra cadaveris? Lege amoris. Dominum quærit, quem lachrymis ſepelivit: claret igitur magnum amoris incendium, ſi cognoſcit Dominum, poſt ſepulchrum. Si cadaver ſibi non viveret, de corpore tantum interrogaret: & de corpore inquirit, quaſi non cadavere; ut cogitatio ita adverſa eſſet amoris inſigne: ſiquidem non intulit cum cadavere memoriam, cùm corpus deferretur in ſepulturam.

Cognitio dilecti poſt ſepulchrum, dilectionis veræ ſignum.

7 Ultra ſepulturam flamma gliſcit in amore. Ceſsit dilectus crudeliſsimo fato: verùm non ceſsit dilectio: igitur parvi momenti, quæ vel mortuo dilecto poteſt mori.

Qui benè cœpit amor, non hunc longæva vetuſtas,
Fortuna, aut tandem terminat ulla dies.

Oth. Vænius.

Canit Otho Vænius Emblem. 10. *Amor.* Amor qui poſt mortem perſeverat, verus eſt: & de Domino mortuo tamquàm vivo mentio à Magdalena fit; quoniam licèt corpus dilecti tradatur morti, & denique ſepulturæ, dilectus verè numquàm moritur amanti: igitur dum corpori deficit vita, naſcitur conſultò ex ſepultura memoria.

Dum deficit dilecti vita, ſurgit amoris memoria

8 Virorem iſtiuſcemodi dilectionis, videbimus in Abrahamo ſatagente de pompa funeris. *Date mihi* (dixit filijs Heth) *ius ſepulchri vobiſcum, ut ſepeliam mortuum meum.* (Gen. 23. 4.) *Meum.* En amoris indicium. Proprium dicit, etſi mortuum. Planè diligit, ubi mortuum agnoſcit. Haud caſus, vel ſors ſiniſtra fugavit dilectionem vehementem, quam pectus fovit in coniugem: videnſque cadaver eam, ſuum meditanter dicit, quia diligit, quam dilexit: igitur minimè extincta dilectionis flamma, cùm coniux eſſet extincta. *Mortuum meum.* Dum vivebat Sara, utique ſua: nequaquàm eius, ſi mortua: cadaveriſque exprimit proprietatem, quoniam illam diligebat etiam poſt mortem. *Ut ſepeliam mortuum meum.* Non ſepelitur amor, ſed cadaver. Quia *mortuum* ſepeliendum, & *meum* quia ſepultum. Quod ſepelitur eſt telluris, non amoris: propriumque dicitur, dum ſepulturæ traditur; quippequàm verus amor refugit flammam, ni flamma perſeveret poſt ſepulturam. *Ut ſepeliam mortuum meum.* Hoccine amantis officium. Non ſervit, ut dignatus reſpondeat, ſed dumtaxàt ut ſerviat. Obſequi viventi, eſt ſibi obſequi, non amori deſervire: & Abraham ſolicitus de ſepultura coniugis, cadaver eius ſignat nomine proprietatis, & dilectionis: *Mortuum meum.* Meum utique ad obſequium, licèt ſit ad redamationem mortuum. *Meum* ſiquidem, licèt iam cadaver, tradita morti, vivit amanti.

Dilectio, quæ poſt mortem, vera dilectio.

9 *Lazarus amicus noſter dormit*: dixit diſcipulis Chriſtus. (Ioann. 11. 11.) Hæc eſt vera amicitia: Lazarus eſt amicus, eſtò ſit mortuus. *Abſalom fili mi: fili mi Abſalon*: clamat David. (2. Reg. 18. 33.) Filius & mortuus? Pater ſine filio?

——Infelix mater (nec iam modò mater)
Orba ſuper gelidum fruſtrà premit ubera natum,

Sedul.

De matribus Innocentium cecinit Sedulius lib. 2. de *Chriſt. miracul.* v. 228. Deficeret amor, ſi deficeret dilecti vità: procedit ultrà: & David, qui iam cadaver, vocat filium; quoniam amori filius, licèt ſit mortuus. *Fili mi Abſalom.* Schema erat amoris, quòd vel mortuus viveret in corde patris. Filium vocat, & flammam pectoris erga mortuum indicat: equidem parùm diligeret, ſi quem mortuum videbat, uti vivum non haberet. Vivus filius non erat: & vivit qui mortuus patri, quippe dilectus ſemper vivit amori.

Dilectus ſemper vivit amori.

10 Reflectatur ergo cogitatio in ſuffragium animarum, in purgatorio degentium. Plangit Abraham, flet mortuam Saram, & poſt mortem vocat *Eam*: igitur ſi mortuam cogitabat, ut officijs amantis reſponderet; vivam cogitavit, ut officijs adiuvaret. (Ubi ſupra.) Maius debet eſſe obſequium, ubi dilecti afflicti maius commodum, vel urgens malum: & plangit Abraham uti vivam coniugem, dum videt in ſepulchro iacentem; quoniam magis dilectio cognoſcitur, dum ſuffragijs levatur anima, quàm ubi officijs diligitur vita. Pudeat Catholicos propudioſæ oblivionis, dum de amore gloriantur; & dilecti ſunt in pœnis. Dum ſibi gratulantur de amicitia, & de amicis defunctis nec memoria: igitur ubi eoſdem debent recognoſcere in feretro, quos cognoverunt in throno; cùm intuentur cadaver in perpetuam ſedem, numquàm cognoſcunt eoſdem.

Cognoſcitur amor in defunctos, ſi orationibus levantur.

11 Quàm dignati à Chriſto noti eius! Mortuus eſt in cruce: *Stabant autem omnes noti eius à longè.* (Luc. 23. 49.) Hæc verba ſi conſiderantur narrativè, ſunt hiſtorica: ſi verò tropologicè, aut allegoricè, maxima pœna. Refert Lucas cruciamina Chriſti, & hoc quaſi extremum, poſtquàm expiraverat in cruce: igitur cùm alieni, quia tot paſſus, ſua pectora percutiebant; noti eius eadem videntes, atque mirantes, ſtabant. *Omnes*: addit, deſidiamque amicorum in neceſsitate oſtendit: ſiquidem in arctiore articulo neceſsitudinis, non tantùm aliqui defecerunt, ſed & omnes. *Omnes.* Hic vel in mortuo cruciatus: inter tot notos nec unus! Amici obliti ſunt. Si amici in terra oblivionis; quinam memores? *Omnes*: & fauti, & amici? In morte hoc eſt maximum cruciamen: nempè quærere amicum, nec invenire poſt mortem. *Omnes*: & dignati? Utique. Omnia tormenta toleranda à Chriſto: & ſanè quod magis dirum, patet oblivio amicorum. *Omnes noti*: ardet amor obice, igitur fulminis gaudet virtute: & in animo inhæret ut diriſsima pœna, quòd ubi & quo ardere debet, extinguatur amicitia.

Oblivio amicorũ poſt mortem tormentum maximũ

Omnes noti à longè. Circunſtantia articuli aggravavit dolorem, ubi inimici auctorem vitæ ſuſtulerunt in crucem. Inimici iuxtà, ut tollerent è medio: acceſsit etiam amicorum oblivio; igitur ſtabant à longè, ubi ſtare debebant, ut adiuvarent, à latere. Demùm. *Noti eius*: Hic collocavit dolor totam virtutem, ut extremum exerceret in Salvatore cruciamen. *Noti eius*: haud *Notus eorum*; quippe minimè vel noti cognoverunt fato functum. *Noti eius.* Ecce vulnus tanti amoris, quia cùm eius eſſent noti, non eſſet notus ab eis. *Noti eius.* Palàm fiunt ingratitudo & dilectio. Dilectio patientis pro amicis, & ingratitudo dignatorum pectoris, qui oblivione conſtruxerunt cruciatum; ex eo quòd illos cognoſceret, & non cognoſcerent illum. *Noti eius*, ſed ignorantes noſcentem, qui ſuos dilexit poſt mortem. Non noverunt? Noverunt: & ab amicis notis non eſt notus, quia poſt mortem in mundo non eſt amicus. *Noti eius*, & non illorum; quia dum notus amittitur, non cognoſcitur. Cadaver erat in ſtipite, aſperſum ſanguine, atque ſaucium toto corpore. Noti eius ibi erant, ſed

Cadavera amicorum incognita ab amicitia.

ſtabant. Ibi erat notus ab eis, & ignotus: cognoſcebant, quem cognoverant etiam in cruce; & non cognoverunt, quia cognoverunt cadaver.

12 Perſpicuius fit modò, Quare Sara cùm cadaver eſſet, vel tantùm eſſet cadaver Saræ, & non illa, dum ſepulturæ mandatur, dicitur *Ea*. Ea eſſet, ſi viveret: & dicitur *Ea* vel mortua, quoniam vel mortem flenti vivebat ea. Quamdiù durat cognitio, perſeverat in voluntate dilectio: & dicitur Saræ cadaver *Ea*; quippe Abrahamo nota, adhuc in ſepultura. Non eſſet, ni eſſet nota, niſi cadaver: quod non dicitur cadaver vel in oſtio ſepulturæ; quoniam adhuc coniugis vivit amor, ubi de morte lachrymis oſtenditur dolor: ſiquidem quòd ſit ea vel non ſit ea, viva vel mortua; haud pendet ab extinctione vitæ, ſed memoriæ. *Feræ* (dicit Seneca ubi ſuprà) *ſuos diligunt, quarum concitatus eſt amor, & penè rabidus, ſed cùm amiſsis totus extinguitur. Hoc prudentem virum non decet: meminiſſe perſeveret.* Quoniam Abraham Saram diligit, non illius, illam cadaver cognoſcit: & iurè illa, vel mortua; igitur mors non tam eſt in amiſsione vitæ, quàm in inſita cadaveris oblivione; quæ deſtruit facultatem cognitionis, dum flamma amoris langueſcit in ambitu voluntatis. Verùm hoc alibi latè. Non importuna legenti videatur digreſsio: quandoquidem idem argumentum de morte, ac de pulchritudine. Conſtet ergo.

Vera amicitia quæ cognoſcit cadavera.

Senec.

13 *Venit Abraham*, mortua Sarà, *ut plangeret, & fleret eam.* Eam & mortuam? Si mortua Sara, erit ea? Si ipſa, cur plangit? Quia pulchritudine floruit. Mortua erat, & erat ipſa, quippe cùm eſſet ipſa in ipſa pulchritudo antequàm moreretur, erat mortua. Erat ipſa & alia, quoniam ſub aliena ſpecie, nempè cadavere: modò corpus mortuum, dudum cadaver vivum: & cùm in viva videret pulchritudinem mortuam, illà mortuà, vocat eam; quippe levis diſtantia inter dotem pulchritudinis, & fœditatem cadaveris. Mors & vita unitur, ubi ea & cadaver oſtenditur. Si ipſa, non cadaver: ſi cadaver, non ipſa: & dicitur ipſa & mortua; quia ita fallax pulchritudo in fœmina, ut mors lateret, dum viveret, ſub pulchritudinis larva. Ipſa eſt, dum cadaver eſt: velum diduxit in facie mors: & ipsà mortuà, apparuit, quod latebat, quid erat ipſa. Cadaver ipſa. Vividè: igitur vel dum viveret, atque pulchra floreret, erat cadaver.

Ubi ſupra.

Latet mors ſub larva ſpecioſitatis.

14 Diligenter obſervemus annos vitæ Saræ. *Vixit Sara centum vigintiſeptem annis, & mortua eſt.* Pagnin. *Fuit vita Sarah centum anni, & viginti anni, & ſeptem anni.* Hebr. *Et fuerunt vitæ Saræ centum anni, & viginti anni, & ſeptem anni vitarum Saræ.* Ubi Caiet. ſubdit: *In qua littera prius deſcribitur vita Saræ, deinde ſupputantur anni eiuſdem vitæ.* Celebris næ Hebraiſmus: verùm conſultò obſervandus. Si vita Saræ centum vigintiſeptem annorum; ad quid ſupputatio per centum, per viginti, & ſeptem annos? Vita continua eſt: ex cunctis collectio fit: quare igitur ſeorſim numerantur vitæ anni, cùm ſucceſsivè continuantur anni vitæ? Quia Sara pulchra erat, cæterùm ſemper non pulchra; quippe tempore & tempore marceſcit forma: & tempus, quo vixit, non deſcribitur niſi diſcriminatim, propter temporis vitæ diſtinctionem: igitur vita fœminæ numquàm computatur ætate, ſed pulchritudine. Vixit centum annis pulchra, viginti non ſpecioſa, ſeptem vetula: & dividuntur anni per partes eiuſdem vitæ; quippe vita fœminæ haud ſupputanda per vitam, ſed per formam.

Gen. 23. 1.

Pagn.

Hebr.

Caiet.

Vita fœminæ computanda per pulchritudinem, non per ætatem.

15 *Addentur tibi anni vitæ*: dicitur à Sapiente Salomone. Si non vitæ, quorsùm anni? Sunt anni vitæ, & anni formæ; quia ſine forma, vita fœminæ non dicitur vita. Eſt vita, quia non deficit vitalitas: non eſt vita, quia deficit ſpecioſitas. Hæc conſtitutivum annorum, pro ætate temporum: ni conſtent venuſtate formæ, vitæ anni nequaquam ſunt anni vitæ: igitur in facie non ſpecioſæ viventis, iam apparet cadaver pulchritudinis. At de hoc, ſuo loco *Tom. ſeq. Tautol.* 8. Anni ſunt vitæ: cæterùm non in annis eſt vita fœminæ. Vita pulchræ levis: levior vita pulchritudinis: igitur & deficit vitæ forma, antequam finiatur vita.

Prov. 9. 11.

Pulchritudo moritur tẽpore, non moris.

Forma nullo exercente ſeneſcit.

Ovid.

16 Perpende ſtylum. *Fuit vita Saræ centum viginti ſeptem annorum vitarum Saræ.* Quotuplex vita Saræ, ut in numero annorum, non fiat tantùm vitæ memoria, ſed vitarum? Duplex eſt in fœmina vita. Vita pulchritudinis, & ſpiritus vitalis. Tempus & mors utrique oppoſita: neutra conſtans: & in vitæ dolo eſt fallacior pulchritudo; quippe tempus tollit formam, antequàm mors tollat vitam. *Ea* dicitur Sara, ubi cadaveris circumſpicitur forma; quia fuit cadaver & viva. Viva reſpectu mortis: cadaver reſpectu temporis, quod ſubegit pulchritudinem, priuſquàm edax morte ſurriperet venuſtatem. *Ea*: igitur ex illa, quæ delicium cordis, uti fallaci, haud remanſit, niſi pulvis.

Duplex mors fœminarũ.

17 De matre tranſeamus ad filium. Ex illa igitur parentum gaudium Iſaác oritur: quem quidem Patri precipit Dominus, ut tollat & offerat in *Holocauſtum*. Cur ergo in holocauſtum, & non in ſacrificium? *Hoc eſt* (in-

Gen. 22. 2.

(infit Caietanus) *totum comburendum, ut ſoli cineres remaneant.* Arctiùs accepit Oleaſter: *In fumum carnes abibunt & oſſa.* Conſideranda cuncta. Quid Iſaáco pulchriùs? Quid? Nihil ſanè: & dum dicatur Deo, dicatur ad holocauſtum, in documentum inſtituti Monachorum: quandoquidem dum Deo conſecrantur ut victima, ſæculi iam deſpecti nec remanſura memoria. In ſacrificio aliquid Deo cedebat, & aliquid remanebat offerenti. Totum verò dicabatur Deo in ſacrificio holocauſti: & dum Iſaácus dicatur, in holocauſtum offertur; ut diſcant qui ingrediuntur Monaſterium, quomodò cordium præparandum ſacrificium: igitur ut ſit efficax vocatio, corda oblata tota Deo. Vide quæ diximus *Tautolog.* 5. *Didaſc.* 7. num. 2.

Caietan.

Oleaſtr.

Totius ſæculi oblivio, dum aliquis dicatur Deo

18 Deinde. In holocauſtum offertur Iſaác deſiderabile oculorum parentum, atque cordium veneficium. In holocauſto ſolùm remanent cineres victimæ, qui proponuntur in fomitem reſipiſcentiæ, ut mundi amatores frugi ſeſe recipiant, averſantes quæ ex abrupto albis viſceribus amant: ſiquidem ex pignore maioris æſtimationis, hàud remanent niſi cineres. Futilis eſt gratia, ex qua aliquid non capitur niſi memoria. Futilior eſt pulchritudo ſpecioſitatis, dum holocauſtum fit temporis, & victima mortis: igitur ex fœmina quæ placuit, ſi mors obducit, dum quæritur pulchra; haud remanet in ſepulchro niſi cineris memoria. Hiſpan. *No queda memoria: y ſi queda, es de ceniza.*

Ex mole pulchritudinis haud remanet niſi cinis.

19 Hoc eſt holocauſtum temporis ex victima pulchritudinis.

Si quæris donum, quid vult ſibi tale corolla?
Ut viret hæc, parvo tempore forma viret.

Canit Angerianus. Hæc eſt fœminæ inſignior gratia, in fumum carnes abibunt & oſſa; ut pateat quàm fallax, dum videtur conſtans: etenim quod erat ſtupor cordium, evaneſcit in fumum. Quæ pulchrior Sara? Haud remanſit Abrahæ ex tanta pulchritudine niſi cadaver: & dum cadaver, aptè dicitur *Ea*, quaſi eſſet viva; quoniam congruentiùs diſponitur ſepulchrum pulchritudini, quàm cadaveri. Nil pulchrius orbe, & figura indicat quid ſit pulchrum. Inter figuras Mathematicas orbicularis perfectior, & gratior; ſed eò inconſtantior, quò pulchrior. Habet pulchritudo ſpeculum, quo ſuam circumſpiciat fragilitatem, dum miratur perfectionem: ſiquidem extrema & ſumma orbis ſpectabilis perfectio, ubi ſubſiſtit, tantùm ſubſiſtit in puncto.

Angeri.

Quę ſtupor oculorum, evaneſcit in fumnũ.

Cur pulchritudinis ſymbolum orbis?

20 Aliquid latet abſtruſius in ſymbolo, ut ex Macrocoſmi analogia pateat quid in Microcoſmo. Sicut ex cœlo & terra conſtat orbis, ita in homine concretum pulchritudinis: ex parte terrea ſcilicèt corporis, quod ornat cœleſtis forma, à qua totius venuſtatis ſumma; igitur facultatibus, atque corporis humoribus conſtituitur miraculum pulchritudinis, & forma fragilitatis: proponiturque in utriuſque ſymbolum & terra & cœlum; igitur terra in æternum ſtat, & quatitur, pulchritudo verò adinſtar cœlorum vertitur. Non eſt momentum ſine mutatione, nec inſtans conſtans in pignore pulchritudinis: ſiquidem in eodem momento quo conſtat forma, capitur fuga. Dicit Seneca ubi ſup. v. 759.

Continuò evaneſcit

Exigui donum breve temporis
Ut velox celeri pede laberis.
Langueſcunt folio ut lilia pallida,
Et gratæ capiti deficiunt roſæ.
Ut fulgor teneris qui radiat genis,
Momento rapitur, nullaque non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit
Res eſt forma fugax. Quis ſapiens bono
Confidat fragili?

Senec.

TAU-